



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda, Sev Ritvale Osnabrvdense

Franz Wilhelm <Osnabrück, Bischof>

Coloniæ Agrippinæ

Benedictio Baptisterii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41233

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Bene **✠**dic, quæsumus, sancte Pater, omnipotens æterne Deus, hoc conditorium sanctorum pignorum, ad recondenda in eorum tuorum munera Sanctorum, in Christo Iesu Domino nostro: qui tecum vivit *Ec.* *Resp.* Amen.

Benedictio Baptisterii, seu lapidis fontium.

Vers. Deus in adiutorium, *Ec.*

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, Baptisterium hoc salutis æternæ, cælesti visitationi dedicatum, Spiritus tui illustratione sancti **✠**fica: ut, quotiescunque, in fonte isto lavandi, trina ablutione fuerint aspersi, purgationem & omnium delictorum suorum indulgentiam consequantur. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Oremus.

Multiplica, Domine, bene **✠**dictionem tuam, & Spiritus sancti munere fidem nostram corrobora; ut, qui in hæc fluentia descenderint, in libro vitæ ascribi mereantur. Per

Dominum nostrum Iesum Christum. *Resp.* Amen.

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. *ut in Rubricis generalibus.*

Postea aspergit Baptisterium aquâ benedictâ.

Benedictio domus, à Dæmone vexatæ,
aut tempore pestis.

P *Arochus, domum benedicturus, primo patrem familias, cuius domus est, monebit ea, quæ de benedictione adiuu alibi demonstrata sunt; tum ipse, mane antequam benedictionem aggredietur, Missam celebrabit, in qua Orationem de Spiritu sancto dicet: Missaque celebrata, superpelliceo & stola violacea indutus, ad illius benedictionem procedet, adhibitis Clericis duobus, uno qui crucem, altero qui vasculum aquæ benedictæ cum aspergillo, feret, aliis item Sacerdotibus & Clericis, quos adhibere potest. Vbi ad domum venerit, in ejus primo vestibulo vel ingressu dicit, ut infra.*

Vers. Deus in adiutorium &c.

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

O Mnipotens sempiternæ Deus, qui sacerdotibus tuis, præ ceteris, tantam gratiam contulisti, ut, quidquid in tuo nomine digne perfecteque ab iis agitur, à te fieri credatur: